

Georg Christoph Detharding

**Rectore Academiae Magnificentissimo, Serenissimo Principe Ac Domino,  
Domino Friderico, Duce Ac Principe Hereditario Mecklenburgico, ... Ad  
Anatomiam Publicam Cadaveris Feminini Quotquot Eius Amore Tenentur**

Rostochii: Adlerus, [1753]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn822203006>

Druck Freier  Zugang



MB-

1600(0) <sup>17</sup>

1600(5) <sup>17</sup>

1753, 23. FEB.

RECTOR

SECRET

OFFICE

PRINCE

FR

mb-1600 (s) 17

RECTOR E  
ACADEMIÆ  
MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
**DOMINO FRIDERICO,**  
DVCE AC PRINCIPE  
HEREDITARIO MECKLENBURGICO,  
PRINCIPE VANDALORVM, SVERINI ET RACEBVRGI,  
COMITE ITEM SVERINENSI,  
TERRARVM ROSTOCHII ET STARGARDIAE  
DOMINO,  
*PRINCIPE AC DOMINO NOSTRO LONGE CLEMENTISSIMO.*

---

AD  
ANATOMIAM PUBLICAM  
**C A D A V E R I S**  
**F E M I N I N I**

QUOTQUOT EIUS AMORE TENENTUR,  
VOCAT ET INVITAT  
GEORGIUS CHRISTOPH. DETHARDING,  
ANATOM. PROFESSOR PUBLIC. ORD.

---

ROSTOCHII,  
TYPIS I. I. ADLERI, SEREN. DVCIS AVL. & ACAD. TYPOG.

RECTORE  
MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPIS AC DOMINI  
DOMINO FRIDERICO  
DUCE AC PRINCIPIS  
HEREDITARIO MECKLENBURGICO  
PRINCIPIS VANDALORVM, SVEDINI ET RACEBVRCI  
COMITIBVS SVEDICIS  
TERRARVM ROSTOCHII ET STAROGARDIÆ  
DOMINO  
PRINCIPIS AC DOMINO NOSTRO LONGE CLEMENTISSIMO.

AD  
ANATOMIAM PUBLICAM  
CADAVERIS  
FEMINÆ  
QUOTQUOT EIVS AMORE TENENTUR  
VOCAT ET INVITAT  
GEORGIVS CHRISTOPH. DETHARDING,  
ANATOM. PROFESSOR PUBLIC. ORD.

Universitäts-  
bibliothek  
Rostock

1978.9.22

ROSTOCHII,  
FRIDERICI-VADLERI, SERENI DUCIS AVL & ACAD. PRINCIPIS



**S**cientiam Medicam, objectorum sensus & ingenium  
oblectantium varietate, & multitudine, complu-  
res reliquas, suavitate ceteroquin se commendantes,  
superare, neminem, nisi in Medicina plane hospi-  
tem negaturum fore crediderim. Sive enim attendamus  
ad corpus humanum, tanquam subjectum Medicinæ,  
ejusdem fabricam elegantissimam, & officia, quæ singulæ  
ipsius partes in œconomia animali præstant, hæc sane  
tantum non omnes delectant, quorum interest, interanea  
microcosmi percognoscere exquisitius, quique a miran-  
dis naturæ, ad sapientiam Authoris ejusdem suas formare  
consueverunt conclusiones; Sive respiciamus, quæ ex tri-  
plici sic dicto regno, vegetabili, animali, & minerali de-  
pro-

promuntur, & præparantur usibus medicis inservientia, hæc varietate fere incredibili, numero ingenti, specie venusta, & qualitatibus nunquam satis perscrutabilibus adeo quemvis reficiunt, ut insatiabile propemodum qualitates & vires corporum naturalium ulterius detegendi commoveat desiderium, imprimis, quando chemia auxilia-trices manus adtulerit. Sive denique Praxin clinicam consideremus, quantumvis illa circa querelas plerumque atque dolores versetur, dulcedinis tamen haud parum in se continet. Non auream illam intelligo, quam Galenum discipulis suis olim concessisse fertur, antiquatis etenim rebus adnumerandam eandem esse, cujus vix vestigia hinc inde deprehenduntur, vel me tacente, experientia quotidiana monet. Svavitas potius praxeos clinicæ, quam innuo, in exoptato eventu curationum reponenda, quando morbi cito, tuto, & jucunde tolluntur, & quando insuperabiles visi, præter spem & expectationem adstantium remediis adhibitis obsecundant. Adcepta est sub hoc rerum statu persona Medici, ut exinde quoque titulum gratiosi reportet, & quamvis morbo debellato, munificentia sanitati restitutorum subinde satis deprehendatur restricta, meritorum tamen memoria plurimorum verbalis, & quandoque realis, labores exantlatos, & rædium perpeffum, solatio, & oblectamento haud exiguo compensat. Chirurgia quidem sub specie crudelitatis non omnibus arridere videtur, ast quandoquidem amor sanitatis & vitæ, solis ferramentis & igne conservandæ, dolorum excitatorum vehementiam sustinet, absolutum operationis manualis negotium, memoriam dolorum oblivione brevi delere consuevit.

Sola



Sola ergo corporis humani administratio anatomica est, quam tantopere detestari solent plurimi, nec Medicis ipsis passim exceptis. Nescio, cujus fœdi, inhumani, crudelis & sordidi hoc nobilissimum studium infimulare solent plerique, ut parum absit, quin Anatomici penes vulgum cum iis, qui levis notæ macula laborant, pari passu ambulent. Indecentissimum est elogium IOH. HISKIÆ CARDILUCII, qui in *der Kunst und Wissenschaft-Schule* Sceleton inter Deo & hominibus abominabilia collocare non erubuit; & eadem hodie propemodum luditur scena, quam A. 1590. experrus est ANDREAS CHRISTIANI Professor Medicinæ Hafniensis, de quo ERASM. VINDINGIUS in *Histor. Acad. Hafn.* refert, quod corporis virilis dissectionem in usum juventutis, & Academiæ splendorem inchoaverit quidem, sed eo fere rem perduxisset, nisi manum retraxisset, ut a conversatione & conviviis honestiorum prorsus abstinere fuerit coactus. Adeo sane invaluit præjudicium præconceptæ opinionis, de squalore, immunditie & detestabilitate, ceu anatomicarum acroasium comitibus individuis. Quamtumvis regeratur, sub sectione corporum humanorum rudem evitari partium contrectationem, negotium instrumentis potius, quam manibus perfici, sanguinem spongia elui, ut omnia nitide oculis subjiciantur, labore vero exantlato, lavari manus, vestimenta commutari, ut nihil remaneat, quod nauseam excitare valeat levissimam, surdis tamen narratur fabula. Et nonne perinde est, utrum cruore humano, an brutorum manus inficiantur? quod si etenim administrationem animalium mactatorum manualemente, intuentem delicatulum facillimo negotio ab omnium



6

nium esu abalienare potis foret. Haud quidem negaverim, speciem torvitatis præ se ferre occupationes anatomicas, quæ imprimis inadfectis horrorem incutere valent, quinimmo modum transire quandoque anatomicos, ut talia committant, quæ ab ipsis nemo prudens desideraverit. Sic nonnulli, præsertim juniores, laureolam in mustaceo quærentes, cranium humanum ferra vix defecatum vino replere, & fociis detestandum hocce poculum propinare consueverunt. Nec nisi acris animi Anatomicus, & cui triplex æs circa pectus collocatum, eo usque commovebitur, ut sceleratorum hominum, morte crudeli multandorum, corpora viventia cultro subjiciat, atque in viscera calentia, horumdemque, ut & humorum motum inquirat; hocce siquidem negotium magis carnificibus, quam Medicis competere videtur. Pariter haud semper imitandam curiositatem intempestivam horum crediderim, qui febribus malignis & contagiosis enecatorum, vel ex putredine mephitim spirantia corpora, cum periculo sanitatis, quinimmo & vitæ rimari non reformidant, ut ne quidem medicum a iudice ad inspectionem istiusmodi subjectorum legalem cogi posse autumem. Verum enim vero, prouti abusus modo recensitus usum legitimum tollere nequaquam poterit, ita & horror, qui in imaginatione saltem consistit, facile evitari poterit, quando sub demonstrationibus anatomicis saltem arcentur omnia, quæ terrorem & oculorum fastidium excitare possent. Abluatur ergo corpus, quando sanguine vel aliis impuritatibus contaminatum: Partes pilis obsitæ novacula denudentur: Totum corpus sub uno adpectu non ponatur, capite imprimis velamento connecto, hac siquidem cautela horrorem cadavera humana

per-

pertimescentium haud parum imminui, immo subinde  
 plane tolli, experientia docuit: Intestina utpote putredini  
 magis, quam reliqua viscera, obnoxia, mature exenteren-  
 tur, ne ingratus eorumdem odor naribus obiiciatur: Pro-  
 ventus sanguinis e vasis majoribus, hæmophobis imprimis  
 molestus, ligaturis inhibeat: Sicubi sub protracta  
 per plures dies singularum partium demonstratione, pri-  
 mordia imminentis putredinis sese sistunt, hæc injectioni-  
 bus, adplicatione Spiritus vini, & suffitibus corrigatur:  
 Partes externæ generationi dicatæ in connexionem cum vi-  
 cinis haud exhibeantur, ut omne irritamentum impudici-  
 tiæ exulet: In demonstratione musculorum, detractis to-  
 tius corporis integumentis, omnia membra haud uno in-  
 tuitu, sed alia post aliam partem oculis spectantium pa-  
 teant, quo declinetur pavor, quem ad spectus corporis cute  
 orbati inadsuæ offerre facile posset &c. Sed angustia tem-  
 poris atque pagellarum prohibet, quo minus in delinean-  
 dis cautelis, Anatomiam ab omni squalore vindicantibus  
 existam prolixior. Præmittere saltem hæc pauca, more  
 consueto, volui, occasionem nactus indicandi, ex gratia  
**SERENISSIMI ACADEMIÆ NOSTRÆ NUTRI-**  
**TORIS, DOMINI CHRISTIANI LUDOVICI,**  
**DUCIS ET DOMINI NOSTRI LONGE CLEMENTIS-**  
**SIMI**, denuo concessum esse cadaver femininum, publi-  
 cis demonstrationibus destinatum, quibus reapse confir-  
 mabitur, nihil sordidi anatomiae rite administratae ad-  
 scribi posse. Quotquot igitur sunt, qui mecum idem sen-  
 tiunt, & modo adlatis subscribere videntur, imprimis au-  
 tem *Magnificus Dominus Pro-Rector, Per-Illustres & Illu-*  
*stres Consilarii Ducales, Academiae & urbis Proceres, &*  
*omnes omnium ordinum Cives Academici*, ut demonstratio-  
 ni-





nibus nostris gratiose intersint, ea qua decet, observantia & studio invitantur. Tempus demonstrationibus publicis dicatum erit hora quarta pomeridiana.

P. P. Rostochii die XXIII. Februar.

MDCCLIII.

Tessera Anatomica:

NATURA NIL TURPIS


IN SE CONTINET.




U. B.  
Rostock

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

31. Jan 1986





poris humani administratio anatomica  
 re detestari solent plurimi, nec Medicis  
 is. Nescio, cujus fœdi, inhumani, cru-  
 c nobilissimum studium infimulare so-  
 arum absit, quin Anatomici penes vul-  
 levis notæ macula laborant, pari passu  
 entissimum est elogium IOH. HISKIÆ  
 i in der *Kunst und Wissenschaft-Schule* Sce-  
 t hominibus abominabilia collocare non  
 m hodie propemodum luditur scena,  
 pertus est ANDREAS CHRISTIANI  
 næ Hafniensis, de quo ERASM. VIN-  
 stor. Acad. Hafn. refert, quod corporis  
 em in usum juventutis, & Academiæ  
 averit quidem, sed eo fere rem perduxif-  
 retraxisset, ut a conversatione & convi-  
 prorsus abstinere fuerit coactus. Adeo  
 iudicium præconceptæ opinionis, de squa-  
 e & detestabilitate, ceu anatomicarum  
 ibus individuis. Quantumvis rege-  
 e corporum humanorum rudem evitari  
 ationem, negotium instrumentis potius,  
 erfici, sanguinem spongia elui, ut omnia  
 iciantur, labore vero exantlato, lavari  
 ta commutari, ut nihil remaneat, quod  
 e valeat levissimam, furdis tamen nar-  
 t nonne perinde est, utrum cruore hu-  
 rum manus inficiantur? quodsi etenim  
 n animalium mactatorum manulem ob-  
 rcitæ sectiones anatomicas longe superan-  
 licatulum facillimo negotio ab omnica-  
 nium